

Vc  
5337





Vc  
5337

Divinitatem

&

Raram Perfectionem,

Nec unum; sed multiplicius quadruplicatum Quaternarium

## ADMIRANDORUM

*In*  
**SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.**

# JOHANNE GEORGIO IV.

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, nec non Angriæ & Westphaliæ Duce  
Electoralis Axiomatis & Potestatis Hærede, Landgravio Thuringiæ, Marchione  
Misniæ & Utriusq; Lusatiæ, Comite Principali Hennebergico, Comite  
Marcæ, Ravensbergæ & Barbiæ, Dynastæ  
in Ravenstein.

*Domino suo Clementissimo,*

Ex secundo Itinere,  
Qvod Confecto Gallico, Anglo & Belgico,

in

## ITALIAM,

Urbium Magnificarum Viridarium,

suscepit & perfecit,

Qvam Felicissimè Reduce.



*Mense Mayo Anni Christi M DC XC.*  
Saxonopolin-Electoralem hanc Dresdam

Salvo, Sospite & Incolumi Intrante,

Solutis

*Optimo, Maximo, Omnipræsenti*

**J E H O V A E**

Pro ipsius, Cœlestiumq; Satellitum Præsentia & Custodiâ  
Paternè accommodata

Mille GRATIARUM Myriadibus

*Ex Divinis Magni hujus Principis Virtutibus Raris & Inexplicabilibus,  
Nec non Prænominis sui Quaternario*

Evolutorum

Summè admiratur.

Et Inscriptione hac humillimâ humillimè Veneratur

Mundoq; universo admirandum, suspiciendum, Venerandum  
proponit & exponit

Ille,

*Cuius est Symbolum ac Opus per Vitam totam Operandum:*

Pro Salute Serenissimorum & Potentissimorum  
ELECTORIS-ENSIFERI, DUCUM PRINCIPUMQUE RUTIGERORUM  
Reddere Grates Deo.

DRESDÆ,  
LITERIS VIDUÆ ET HÆRED. MELCH. BERGENII.





EVOHE!

Rediit ex ITALIA Felicissimus

# SERENISSIMUS DUX SAXONIÆ JOHANNES GEORGIUS IV.

Revera καρηβος seu κεραπερος, Fortis, Potens,

Imo καρηβος vel κεραπερος Optimus & κεραπον Imperans,

Electoralis Axiomatis & Potestatis Hæres-Princeps!

Gaudete, Plaudite, Jubilate & Cantate!

## SAXONIA, THURINGIA, MISNIA, UTRAQUE LUSATIA,

Et Cæteræ Provinciæ Omnes & Singulæ!

Commune hoc est Gaudium, Felicitas Communis,

De hâc Felicitate qui communicare recusat,

Infelix & ex Communione Civium excommunicandus est,

Exesse velit Nemo Communi Gaudiò,

Qui Communi vult exesse Dolore.

\* \* \*

Rediit Princeps, quia abfuit, abfuit autem & non abfuit,

Fuit in Italia & simul qvoq; in Misnia & Saxonia,

Fuit enim in Mente sacratissima Utriusque Parentis,

Fratri unici, Serenissimorum Omnium:

Omnium Aulæ Ministrorum, piorumq; Subditorum Mentibus.

Rediit Princeps non solus, quia non solus abfuit,

Sed abfuit cum ipso tota SAXONIA & MISNIA,

Ipsò-cum abfuit Ipsissimus Ejus Generator Potentissimus,

Pietate & Virtute Omnium sublimissima Genetrix,

Germanus Serenissimus & Unicus,

Tota Aula, Omnes Ministri, Cives, Incolæ Omnes,

Fecit Princeps Saxoniam, Cæterasq; Provincias, ubi fuit,

Italia fuit Saxonia & Misnia, & Non-Italia,

Omnes autem illi abfuere qvidem, simul tamen qvoq; adfuere,

Hâc ratione, ut præsentes hîc fuerint solis Corporibus,

Mentibus autem absentes & cum Principe Serenissimo in Italia.

Fuerunt extra Corpora, & extra, non intra seipso,

Mentes omnes & singulæ, Earumq; Actus Omnes

Votis & Precibus erant intenti orantes & pro salute Principis sui  
laborantes,

Laborantes ita magis erant Absentes qvam Præsentes,

( 2 )

Labo-

\* \* \*

Laborabant mille Precum & tot Precum Agmina,  
Totidem mille Suspiriorum Phalanges & Phalangum Myriades,  
Cujusvis Pii Suspirium Angelorum legionem evocabat cœlitus,  
Suspiriorum autem talium Decas Legionum Exercitum,  
Mahanaim sanctissimos, qvi comitati sunt Principem, ut Sanctum  
Jacobum.

Peregrinatus est Princeps non cum solis suis Domesticis Mortalibus;  
Sed cum Domesticis Cœli & Angelis immortalibus,  
Nec solis cum Angelis, sed Angelorum principibus,  
Qvi comitati sunt Principem & Ejus quoque sunt Domestici & Ministri.  
Timebant hosce Parcæ cum generibus Morborum omnibus,  
Mors ipsa, Fures, Prædones, Latrones Itali (Banditen)  
Latrones famosi, Scinis, <sup>(a)</sup> Cercyon, Scyron de SAXO præcipitans Hospites,  
Nisi occisi à Theseo, Principis hujus SAXONIS causa fuissent occisi,  
Uthic sanus, salvus & sospes rediret ex itinere.

Reversò autem feliciter Princeps, Preces resolvuntur in *Gratiarum Actiones*.  
Mentes jam redeunt in Corpora & tota in se revertitur *Saxonia*,  
Quæ hactenus extra se, intra se autem non fuit.

\* \* \*

Grates ergò redde SAXONIA cum omnibus tuis Sororibus & Filiabus  
JEHOVÆ, Creatori, Servatori & Principis Ductori,  
Qui principem tuum tibi restituit & in columem reddidit.  
Grates solvite non linguis solis; sed Menti bus quoque solutis,  
Reddite DEO Mentes vestras & Vos metipſas totas,  
Qvia DEUS vos ipſas Vobis reddidit, dum reddidit vobis Principem!

\* \* \*

In Italiam tendens Princeps tetigit & vidit Augustam,  
Magnum totius Europæ tunc Theatrum,  
Et ibi Romanorum Imperatorem LEO POL DUM Augustissimum,  
Conjugem Ejus Augustissimam Imperatricem Coronatam,  
Coronationem autem Regis Romanorum Magnificentissimam,  
Omnesq; Romani Imperii Duces-Electores Augustos,  
Majus Regum Concilium quam olim Romanorum Senatorum  
A Cynea <sup>(b)</sup> Legato Pyrrhi visum.  
Imperator Romanorum Rex & duo Electores Seculares  
Suum in hoc Princeps Saxone agnoverunt Sangvinem,  
Nulla ferè Principium imo Regum Europæorum est Linea,  
Qvam Regius hic Sangvis non tinxerit,  
Omnes ex hac Origine suam probant Antiquitatem,  
Et ab hujus Purpuræ Colore totum suum Splendorem.

Gene-

Generosior Sangvis vix ullus qvàm **Saxonicus**!  
Hic intra Saxoniam **Principem** hunc retinere non potuit,  
Qvi vix teneripotest vastam intra *Europam*.

\* \* \*

Vidit & mirata est *Italia* tota in **Principe Germano unico**  
Majestatem **Principum Germanorum Omnia**,  
Nec horum tantum sed *Anglorum*, *Danorum* & *Gallorum* quoque *Virtutes*.  
Conflavit enim **Princeps** ex Omnibus istorum Virtutibus unam,  
Iisq; ipsis in Admirationem Sui Italianam traxit totam,  
Quæ venerata est ipsum non ut **Principem**; sed ut IV. Regnum **Regem**,  
Qvia IV. Regnum est Hæres & alia IV. Regna vidit,  
Eorumq; Populos & Oras, ac Omnia observavit Mores.

\* \* \*

**Flos Italiæ, Florentia florentissima**  
Denovo florere incepit adventante Germanorum **Principum Flore**,  
Hic *Hetruriam* novis florentem reddebat Spectaculis,  
**Princeps** autem *Ipse Spectaculum* erat Omnia maximum,  
Nec Spectaculum tantum; sed admirandum quoque Miraculum & Oraculum.  
Tusciae **Magnus-Dux** tantum **Principi Saxonii** habuit Honorem,  
Ut se minorem Eò, & Eum se æstimaret Majorem,  
Hac re, Modestia *Magni* hujus **DUCIS** ipso fuit Major.  
Et magna **Principi nostro** facta Veneratio eum fecit non Minorem;  
sed Maximum,  
Hinc Germania, imprimis *Saxonia* & Misnia Ducem *Hetruriæ*  
Non suo Nominis *Magnum*, sed appellant *Maximum*.

\* \* \*

**ROMA** Totius Orbis olim **Caput**,  
*Caput* tantum Germania non vidit, jam <sup>(c)</sup> Seculum ferè est,  
Vidit enim tunc **Principis** hujus Proavum Germanicum *Achillem*.  
**JOHANNEM GEORGIUM I.** Animosum,  
*Saxonum* **Ducum-Electorum** hujus Nominis *Alpha* & **Principium**.  
Sic ROMA non singulis Annis; sed *Seculis* rari aliqvid videt,  
Videt autem rari aliqvid & magni, quando **Principem** videt *Saxonem*,  
Hi autem PRINCIPES ROMÆ rari vident nihil, quia Eorum *Pietas* & *Virtutes*  
*Roma* sunt rariores, quam **Principibus Saxonibus** ROMA ipsa.  
**Princeps** hic Virtutibus suis rarib; & Heroicis Italianam implevit,  
Nullas autem Virtutes raras ibi videt, quas non habuit,

( 3 )

Vidit

Vidit tamen *Basilicas* & magnificè extructa *Templa*,  
Sed longè Magnificentior *Basilica* & *Templum* est ipsius COR,  
Totius Sacro-Sanctæ TRINITATIS βασιλέων τῶν βασιλέων Habitaculum,  
Qvod *Basilicas* & *Templa* totius *Italiae* superavit Omnia.  
Etsi qvod fuerit Mundi *Miraculum Octavum*,  
*Princeps* hic *Saxo* certè erit *Primum*.

\* \* \*

Gaudete ergò *Saxonia* & *Misnia* cæteris cum Provinciis  
De reverso qvām felicissimè PRINCIPE Vestro JOHANNE GEORGIO IV.  
Vidistis ELECTORES ex Familia *Anhaltina* & *Lauenburgensi*:  
BERNHARDOS, ALBERTOS, RUDOLFFOS, WENCESLAUM.  
Ex Marchionibus autem Misnicis:  
FRIDERICOS, JOHANNEM, JOHANNEM FRIDERICUM, MAURITIUM, AUGUSTUM & CHRISTIANOS.  
Hosce inter Omnes vidistis vel *Unum*, vel *Duos* vel *Tres* unius Nominis,  
Nullum autem vidistis *IVtum* nisi Hunc inter JOHANNES GEORGIOS.  
Rarum aliqvid videtis, qvando *IVtum* Eiusmodi videtis,  
Nullum talem in *Saxonia* *Electorali* viderunt Secula,  
Et qvi omnia novit Secula Historiasq; Omnes,  
*IVtum* Unius Eiusdemq; Nominis (serie \* non ruptâ) *Principem*,  
Et (favente DEO!) aliqvando *Electorem Saxonem* ignorat.  
Novistis Reges *Saxones* & ex *Regibus Imperatores*,  
Nescitis autem Unius Eiusdemq; Nominis *Principem IVtum*.  
Qui non aliunde, nisi *Regio* ex Sangvine venire potuit.  
Ideò autem tamdiu ignorari voluit & nascinoluit Hic *IVtus*,  
Quia à *Saxonia* & *Misnia* voluit expectari,  
In Ipso enim recondita sunt plura *Mystica*, divina & singularia,  
Ut hæc majori obseruentur studiò, & PRINCEPS Honore.  
Hæc ergò observeate, *Saxones* & *Misni*i, Omnia,  
Nisi PRINCIPIS hujus velitis æstimari indigni.

\* \* \*  
*Quaternarius perfectissimus* Omnium est Numerus,  
Ex ipso resultans in seipsum,  
Et Virtute suâ in se complectitur *Denarium*,<sup>(d)</sup>  
Ultra qvem non est *Numerus*, nisi Eius Replicatio,  
Figura & Corpus *Quadratum* dicuntur perfectissima;  
Quia æqvales habent Lineas & Angulos æqvales,  
*Cubus VI.* superficiebus, jactus qvamodocunque, rectus stat semper,  
Obliquus nunquam.  
Sic *Vir Tetragnous* seu<sup>(dd)</sup> *quadratus* Eodem se habet semper modo,  
Et *Virtutum* Perfectiones continent Omnes.

In  
Fuerunt qvidem ex stirpe Anhaltina ALBERTORUM VI. sed interruptâ à III. RUDOLFFIS serie...  
Hinc ALBERT. VI. Elector Eiusdem Nominis fuit III. Dn. Micral. in Syntagm. Polit. libr. 1.  
Sect. 12. p. 1033. Ex Ericis autem ad Electoratum pervenit nullus.

In quācunque Fortuna ut *Quadrata* stans Figura,  
Nec varius & mutabilis; sed rectus & æqualis,  
à Platone dictus *Divinus & Sacratissimus*.

\* \* \*

Venerare ergò *Saxonia*, *Principem tuum JOHANNEM*  
*GEORGIUM IVtum,*  
*Divinum, Sacratissimum, Rarum & Perfectissimum*  
*Principem.,*

Hujus Causâ plura Considera Sancta IV.

**JOVA, DEUS, JESÚ,** Nomina Omnia sanctissima  
IV. Literis expressa in Omnibus fere linguis <sup>(e)</sup>

Nec negligi Protoplastorum Nomina: **ADAM & HEVA** Literis IV. itidem.

Obliviscere nunquam *Quadruplicem* CHRISTI Omnipotentiam,  
Quam exercet in Cœlo, terra, <sup>(f)</sup> Mari & omni Abysso.

Reminiscere semper *Quadrangularis* Figuræ Crucis CHRISTI,  
Eiusdem Tituli Tetrammatrici J.N.R.J.

Non exigui, sed magni Momenti & Ponderis,  
Impositi tamen à nullius Ponderis Judice **PONTIO PILATO**.

Non retice IV. Annulos <sup>(g)</sup> in Arca Fœderis & Mensa sacra, <sup>(h)</sup>

In eademque; Candelabri Scyphos IV. <sup>(i)</sup>

Tace autem *Quadricoloria* varia in Divino Tabernaculo.

Non tamen Omitte *Quadricolor* <sup>(k)</sup> & *Quadrangulum* Rationale Judicij,  
(Aumbt-Schildlein.)

Nec præterito Angelos IV. stantes super Terræ IV. Angulos. <sup>(l)</sup>

**IV. Archangelorum Nomina:** MICHAELIS, GABRIELIS, RAPHAELIS,  
URIELIS. <sup>(m)</sup>

Minùs sile Legationes IV. GABRIELIS <sup>(n)</sup> Archangeli,

Sed ut IV. Archangelos venerare tuos IV. JOHANNES GEORGIOS.

Qui tibi, *Saxonia*, sunt instar IV. Elementorum,

Et idem qvod Animæ <sup>(o)</sup> Vitæque <sup>(p)</sup> Humanæ *Quaternitas*.

\* \* \*

Qvoties illa Mundi IV. aspicit Plagas,

Et Mediis in Nubibus *Iridem Quadricolorem*:

Toties suspicit Dominos suos IV. JOHANNES GEORGIOS.

Movere se potest ex Ventis IV. Cardinalibus nullus in *Saxonia*,

Ut in *Saxonibus* non excitetur IV. illorum PRINCIPUM Recordatio.

Semel in Anno IV. Anni recurrent Tempora.

Sed singulis Momentis Eorundem PRINCIPUM revolvitur Memoria,

Qvoties IV. Humores se movent in Corpore.

In Monarchiis IV. Hosce suos reverentur *Monarchs IV. Misnici*,

Eosque; laudant & decantant IV. Vocabulibus Cantibus,

Est & *Quaternarius Jureconsultis* Numerus æquissimus.

ujus Probatio sunt IV.IVtæ,IVta Falcidia, Arrogati & Trebellianica  
Nec non IVta ex Auth. Præterea Cod. Unde Vir & Uxor.  
Et IVta Concessa Dilatio in Probationibus,  
Si causa illius æqua fuerit cognita.

\*

\* \* \*

In PONTIFICE Romano moderno OTTO BONI  
VIII. Bona prædicat & miratur Orbis Romanus,  
In JOHANNE GEORGIO IV. non tantum bis IV. seu IIX.  
Sed plura qvam Quater Centum Bona Orbis miratur Universus.  
SOL & LUNA magna duo Mundi Lumina creata sunt Die IVta (q)  
JOHANNES GEORGIUS IVtus à PRIMI IVta natus est  
Generatione.  
Etsi absuissent IX. Horæ, Die Septimanæ IVta.

Maluit autem Natalem suum, Diem JOVIS Constantis; qvam MERCURII  
vagantis.

IVtus Planetarum dicitur esse SOL (r)

Inter JOHANNES GEORGIOS Princeps hic IVtus est,  
Et aliquando erit (Summi ò faxit Gratia JEHOVÆ!)  
Bis IVtus seu IIX. Elector ex Linea ALBERTINA,  
Et VItus ab ATAVO suo Augustissimo AUGUSTO.

Cubus inde nascetur Electorum Saxonum admirandus,  
Additis Duobus Patruis magnis MAURITIO & CHRISTIANO II.  
Nec non TRITAVO HENRICO & ALBERTO, altero Carolo Magno,  
Aut si mavis Hectore Germano & Dextera Imperii,  
Denarius Ducum-Electorum Lineæ Albertinæ  
Numerus in JOHANNE GEORGIO IVto Complebitur.

Non aliâ Ratione, qvam in NOAH Patriarcharum Denarius.  
Numerus hic qvoqve est Decalogi, Justitiæ (s) & Universitatis.  
O! Perfectionum Perfectio in JOHANNE GEORGIO IVto  
A DEO ipso data & prædestinata!

Qvam prænunciavit felicissimi PARENTUM Serenissimorum Conjugii Annus  
M DC LXVI Itus includens VII. & Omnes Romanorum Numeros,  
Præfagientes: Principem hunc Numeris Omnibus perfectissimum,  
Qui Serenissimam Parentem non solo habet Nomine;  
Sed recipit SOPHIAM & SOPHIAE ipsius Parentem.

Divi-

\* \* \*

*Divinus hic Princeps IV.* edoctus est lingvarum  
Germanicæ, Latinæ, Italæ & Gallicæ.

Nec ignotæ ipsi sunt IV. Academiarum *Facultates*.

IV. præter Patrium seu Germanicum lustravit Regna,  
Italum, Gallicum, Anglicum & Danicum.

IV. Regnorum & Populorum est Hæres,  
Danorum, Norwegiorum, Vandalorum & Gothorum.

IV. Ducatum, præter duos Novos, Dux est Splendidissimus,  
SAXONIÆ, Juliæ, Cliviæ & Montium.

IV. itidem Hæres Septentrionalium Ducatum:

Holsatiæ, Slesvigi, Stormariæ & Ditmarsiæ

IVtus vel unus ex IV. Magnis Germaniæ Ducibus (t)  
Saxoniæ, Bavariæ, Sveviæ, Lotharingiæ,

IVtus vel unus ex IV. ArchiPalatinis

Rheni, Saxoniæ, Franciæ, Hungariæ.

IVtus vel unus ex IV. LandGraviis

Thuringiæ, Alsatia, Hassiæ & Leuchtenbergæ.

IVtus vel unus ex IV. Marchionibus:

Miñniæ, Brandenburgensium, Badensium, Moraviæ,

Et aliquando volente DEO, o utinam velit!

Erit quoque IVtus vel Unus ex IV. Burggraviis

Magdeburgi, Norinbergæ, Rheineckiæ, Strombergæ.

\* \* \*

O! Qvater-Centies IV. Admiranda, qvæ PRINCEPS hic possidet!

Qvot IV. Ipse possidet, tot possideri vult à suis *Saxonibus*,

Qvæ autem ipse aversatur, ipsis qvoq; vult esse aversa,

Ergo, qvæ Ipse possidet, Ea vult, qvæ non possidet, non vult.

Vult autem *Tetragonos*, *Quadratos*, *Divinos*, *Veraces*,  
*Justos*, *Bonos*,

Vel, qvi *Quadratos* includunt, Rotundos seu Perfectos.

Sed nullatenus vult *Mobiles*, *Varios* & *Mutabiles*,

Et qvi *Nullis* 0000 similes ac per se sunt *nihil*.

Numeris autem associati & postpositi valent plurimum (u)

Sed Præpositi Numerum annihilant maximum.

Tales sunt *Indocti*, *Polypitamen*, *Verripelles* & *Fallaces*,

Qvibus alibi *Pii*, *Candidi*, *Docti* & *Integri* postponuntur.

Qva-

\* \* \*

*Quadratam prætereà habere jubet Fidem Omnes,*  
*Juxta Quater IV. Prophetas, IV. Evangelistas & XIV. Pauli Epistolas.*  
*Concilia juxta IV. Oecumenica & Librorum Symbolicorum Cubum.*  
*Ex qvibus quater sunt VII. Articuli Augustanae Confessionis.*  
Prohibet autem à suis Provinciis Hæc IV. Hominum Genera:  
Ethnicos, Hæreticos, Apostatas & Hypocritas,  
A Qvibus Sacro-Sancti DEI Nomen assumitur invanum.  
IV. vult coli & excoli Cardinales Virtutes,  
*Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam,*  
Quadratam <sup>(x)</sup>imprimis desiderat *Justitiam*, æqvalem Omnibus:  
Expelli autem mandat IV. sangvisugas <sup>(y)</sup> *Filias*, earumqve *Amatores*.  
Judicem qvemcunqve IV. hæc Officia habere avet:  
Manus excutere à Munere, Partes patienter audire,  
Benignè respondere & justè judicare.  
IV. econtrà Judicem & qvemcunqve alium jubet *Cavenda*: <sup>(z)</sup>  
*Timorem, Cupiditatem, Odium & Amorem,*  
Qvæ humanum pervertunt Judicium.  
Ex IV. Hominum <sup>(aa)</sup> Generibus vovet II. & II. devovet.  
Vovet Bonos ex Bonis & Bonos ex malis,  
Devovet autem Malos ex Malis, & Malos ex Bonis.  
*Divinum* deniq; invocat *Numen*, ut IV. longius absint *Calamitates* <sup>(bb)</sup>  
*Bellum, Fames, Pestis & nocentes Bestiæ,*  
Qvò referri possunt inutilia Terræ Pondera & Hominum Monstra.

\* \* \*

IV. Sinistri <sup>(cc)</sup> Digi*ti Vena COR* tangit,  
Et IVtus hic *Digitus Annulò coronatur Nuptiali*,  
Ut per ipsum coronetur *Cor ipsum*.  
*Vena Virtutum JOHANNIS GEORGII* IVti Omnes Ejus attingit  
majores,  
Et horum Virtutum *Corona* est *Corona* illius,  
Florentem in ipso Lineæ hujus *Autoris ALBERTI Magnanimitas.*  
*HENRICI RELIGIO & MANSVETUDO: FORTITUDO*  
*MAURITII,*  
*AUGUSTI verè Augusti Justitia & FORTUNA.*  
*CHRISTIANI I. Prudentia: Magnificentia CHRISTIANI II.*  
*JOHANNIS GEORGII I. Animositas & Gravitas.*

JOHAN-

JOHANNIS GEORGII II. *Pietas & Clementia.*  
JOHANNIS GEORGII III. *Animus Imperterritus.*  
Harum Virtutum Lumina in JOHANNE GEORGIO IVto se conjun-  
ixerunt Omnia,  
Et Ejusdem additis Luminibus ipsum effecerunt *Solem Saxonum*,  
Cujus Radii totum irradiant *Orbem & Saxonicas Provincias.*

\* \* \*

Irradiant isti radii *Cives Omnes*, quibus *Princeps* suas Virtutes communicat,  
Communicat autem eas, quas ut *Fructus* in sua collegit Peregrinatione:  
*Germanorum antiquam Fidem & Sinceritatem,*  
Excommunicat Eorundem *Luxuriam*, Cæteraqve Vitia.  
Commendat *Italorum Prudentiam & Judicii Acumen*,  
Sed amandat illorum *Devotionem* simulatam & Simultatem.  
Optat & præscribit *Gallici Ingenii Felicitatem*, & erga Regem suum  
*Observantiam*,  
Proscribit autem eorum *Levitatem, Dolos, Fallacias & Mendacia*,  
Impensiū amat *Anglorum Fortitudinem & Beneficentiam*,  
Sed pejus angue odit ipsorum *Inconstantiam & Repugnantiam*.  
Amat & præcipit *Belgarum Industriam & Frugalitatem*,  
Vituperat autem, excipit & excludit Eorundem *Avaritiam*.  
Sic JOHANNES GEORGIUS IVtus in suam *Saxoniam Cæterasq; Provincias*,

IV. Regnum, quæ lustravit, inducit Virtutes; sed Eorum expellit Vitia.  
Et Omnes Incolas reddit *Sacros, Perfectos, Divinos seu Quadratos.*

\* \* \*

Restat, ut *Vota solvantur Divino & Perfectissimo Principi*,  
Sed nullis eget Votis, eget autem Honore, quia *Divinus* est,  
*Voveatis Ipsi Vosmetipsos, Saxones,*  
*Thuringi, Misnici, Varisci & Lusati.*  
Sic Vota simul & Honores **PRINCIPI** redditis,  
Sic Divinitatem & Perfectionem ab ipso assequimini.  
*Divinus* quidem est *Mente, Pietate & Virtute*,  
Mortalis tamen Corpore.  
Hinc vovete ipsi *Immortalitatem seu aeternitatem*,  
Non tamen *aeternitatem* solam; sed simul quoque *longevitatem*, (non senescendi Beneficium)  
In hac tamen Mortalitate *Cælum*,  
Et millies mille *Bona futuri Conjugii*  
Cum *SPONSA Regia & futura Conjuge*.  
REGIUM PRINCIPEM SAXONEM non alia decet *Conjux quam Regia*.  
ELECTORES S.R. Imperii REGIBUS æqviparantur;  
Hic autem **PRINCEPS** & dante DEO futurus **ELECTOR**,  
Eiusq; Posteri *Regium ob sangvinem REGES erunt ipsi.*

Vo-

FK Vc5337

Vovete PRINCIPI *Hæredes Masculos* ut Continuetur *Sacrum No-men JOHANNIS GEORGII.*

Hoc enim Vobis gratum est, amabile & *Delicatum,*  
Orate, *Numen Divinum* rogate, & Implorate,  
Ut Vivat, Vivat, Vigeat, Floreat

*Serenissimus JOHANNES GEORGII IVtus!*

Vivat ætatem Hominis perfectissimam,  
Qvam vixerunt Patres ante-diluviani!

Videat *Hæredes Sexūs* utriusq;  
Ultra IVtum & bis IVtum Gradum!

Et Hi Benedicente DEO se multiplicant  
Gradum ultra *Quadringentesimum!*

Multiplicet se in ipsis *Quater millies*

Perfectio *JOHANNIS GEORGII IVti!*

Nec prius desinat, qvam Mundus definit ipse!

Tunc autem nova incipiat in Cœlo!

Ubi verè erit *Divina,*  
Verè *Perfecta, eterna*  
Et *Immortalis!*

\* \*

#### NOTÆ ENODATÆ.

- (a) Scinis, Cercyon, Viatores alligatis incurvatis Arboribus discerpserunt, Stat. lib. 12. Thebaid. (b) Plutarch. in Vita Pyrrhi. (c) A. M. DCI. (d) Qvia IV. habet III. II. I. Qvæ conjuncta faciunt X. Cæl. Rhodig. lib. 18. cap. 14. C. (dd) Idem ibid. D. E. F. G. (e) Hebraice יְהוָה. Gracè Θεός. Hisp. Dios. Galli Dieu. Germ. Gott. Slav. Bogi, Boog. Polon. it. Boog. Wallachis Zeul, Turcis Alla. Gentibus in novo Mundo: Zimi. (f) Psalm. 135. v. 6. (g. h. i.) Exod. 25. v. 22. 26. 34. & C. 37. v. 3. 13. 20. (k) Exod. 28. v. 15. 16. Cap. 39. v. 20. (l) Apocal. 7. v. 1. (m) Petr. Ravanella in Bibl. Sacra voce Archang. (n) 1. ad Daniel. in Urbem Susan. Dan. 8. 2. ad Eundem in Babyl. Dan. 9. v. 21. 3. ad Zach. 4. ad Mariam Virg. Luc. 1. v. 14. & 26. (o) Mente, Scientiâ, Opinione & Sensu. (p) Cor, Jecur, Pulmo, Cerebrum. Refer. Budæo. (q) Gen. 1. v. 16. (qq) die 18. Octobr. horâ 9 $\frac{1}{2}$  1668. (r) Owen. p. 2. lib. 2. Epigr. 58.

Sol inter Septem quartus mediusq; Planetas

In quarto & medio SOL situs & satus est.

- (s) Genes. 18. v. 32. (t) Münster. in Cosmogr. lib. 5. fol. 689. Limn. lib. 1. cap. 7. n. 48. (u) Owen. p. 2. lib. 3. epigr. 120.

Aliquid ex Nihilo.

Addideris (a) unum nihilo, nihil inde creatur,  
Adde uni nihilum (b), nascitur inde Decas.

(a) 01. (b) 10.

- (x) Philipp. Picinell. in mundo Symbol. lib. 21. cap. 15. (y) Prov. 30. v. 15. & ibid. Dn. Geier. (z) Can. 78. Causa 11. Quæst. 3. (aa) Can. 2. causa 32. quæst. 4. (bb) Ezech. 7. v. 17. (cc) Can. 7. causa 30. quæst. 5.



Vo-

3  
II  
be-  
I.  
G.  
gi,  
ni.  
28.  
Ir-  
21.  
ö  
lic

8.

M

n.

7.

J





Laborabant mille Precum & tot Precum Agmina,  
 Totidem mille Suspiriorum Phalanges & Phalangum Myriades,  
 Cujusvis Pii Suspirium Angelorum legionem evocabat cœlitus,  
 Suspiriorum autem talium Decas Legionum Exercitum,  
 Mahanaim sanctissimos, qvi comitati sunt Principem, ut Sanctum  
 Jacobum.

Peregrinatus est Pri-  
 Sed cum D-  
 Nec solis cum  
 Qvi comitati sunt PRI-  
 Timebant hos  
 Mors ipsa,  
 Latrones famosi, Scini  
 Nisi occisi à Thesec  
 Ut hic f-  
 Reversò autem feliciter l-  
 Mentes jam rede  
 Qvæ ha-  
 Grates ergò redde Sa-  
**JEHOVÆ, Cre-**  
 Qvi Principe  
**G**rates solvite no-  
 Reddite Di-  
 Qvia DEUS vos ipsas

In Italianam te  
 Magna  
 Et ibi Romanorum I-  
 Conjugem Ejus Aug-  
 Coronationem autem  
 Omnesq; Roma  
 Majus Regum Co-  
 A  
 Imperator, Ro-  
 Suum in hoc F-  
 Nulla ferè Principium imo Regum Europæorum est Linea,  
 Qvam Regius hic Sangvis non tinxerit,  
 Omnes ex hac Origine suam probant Antiquitatem,  
 Et ab hujus Purpuræ Colore totum suum Splendorem.

Domesticis Mortalibus;  
 immortalibus,  
 in principibus,  
 et Domestici & Ministri.  
 orum omnibus,  
 i (Banditen)  
 eo præcipitans Hospites,  
 S causa fuissent occisi,  
 x itinere.  
 ur in Gratiarum Actiones.  
 revertitur Saxonia,  
 non fuit.

Sororibus & Filiabus  
 cipis Duotori,  
 sumem reddidit.  
 is quoqve solutis,  
 ipfas totas,  
 vobis Principem!

dit Augustam,  
 trum,  
 D U M Augustissimum,  
 em Coronatam,  
 n Magnificentissimam,  
 tores Augustos,  
 anorum Senatorum  
 n,  
 res Seculares  
 t Sangvinem,



Gene-